



[Faint, illegible text]

*Ex Bibliotheca Bernardi
Hoffmanni sig. V. D. M.
Anno 1619*



CONRADI GESNERI MEDICI, DE UTILITATE AC PRAESTANTIA Graecae linguae, in omni genere studiorum, ad candidos Lectores

PRAEFATIO.



PRAEFATVRVS in istud Lexicon uolumē, quod Graecae linguae locupletissimū promptuarium est, & nunc praecipue, cum toties à multis & egregie doctis uiris locupletatum, castigatum, ac singulari diligentia Hieronymi Curionis excusum, in manus studioforum exeat, de huius linguae usu ac dignitate Lectorem in uniuersum admonere operæpretium duxi: quando non pauci sunt etiamnum ex illis quoque hominibus, qui aliquid uideri uolunt, à quibus uel negligitur, uel aperte tanquam inutilis accusatur. Ex omnibus igitur linguis, quæ per totum orbem terrarum tam multæ uariæque sunt, Graeca & Latina solæ omne genus sapientiæ, diuinæ inquam & humanæ, præ cæteris complectuntur, non parî tamen facultate. Nam uti Sol inter reliqua sydera præstantior est, deinde Luna præcellit, iubar suum à Sole mutuata; Sic præstantissima linguarum Graeca est, mox Latina: quæ tamen boni quicquid habet ab illa sumit: cæteræ ceu stellæ minores sunt. Sed ostendamus ab initio statim orationis nostræ, sermonem Latinum absque notitia Graeci planè mancum esse. Quamuis enim per se adeò clarum hoc sit, ut probatione non opus habeat, propter peruiuaciores tamen ac imperitiores homines, utcunque suo iudicio sibi sapere uideantur, aliquid super hac re dicendum est. Declamator quidam olim publicè prædicaturus laudes Herculis repræhendebatur, quod illum laudare instituisset, quem nemo uituperaret. At nostro sæculo nec hominum quisquã, neque res ulla adeò excellit bonitate, ut defensore nõ indigeat. Quamobrem non miror si Graeca lingua, & si quodammodo mater aliarum, quod eruditionē attinet iudicanda sit, præsertim Latine, qua cū præ cæteris plurimum affinitatis

A 2 habet,

habet, tot accusatores inuenerit. Certè Græci philosophiam omnem, scientias, artesq; uarias ante Latinos longis retrò temporibus excoluerunt, ab eis deinde Latini didicerunt, & permulta uocabula sibi retinuerunt, quando illa facilius erat suis literis scribere, ad suos usus & inflexiones accommodare, quàm noua confingere: præsertim cum Græci multò feliciores sint in constituendis nomenclaturis quàm Latini, ac liberius & noua fingant, & uetera componant. Latinis autem hæc libertas opinor negata est, quoniam si quid præter consuetudinem dictum, aut nouè compositum fuerit, durius sonare uidetur: apud illos uero suauitas enuncianti non facile amittitur. Est enim omnino ipsorum lingua mollis, flexilis, & foecunda, ita ut una uox plurimas de se gignat, & instar Protei in formas uarias aptè mutetur: quod in uerborum & nominum etiam inflexibus apparet: cum sint multò copiosiores quàm apud Latinos. Hæc mollities & uolubilitas sermonis, etiam poëtis decoram licentiã parit. Proinde Martialis cum in Epigràmate non collocare posset Earini pueri nomen, ita lusit carmine Phalecio:

Dicunt *Εὐκλείδης* tamen poëta,

Sed Græci quibus est nihil negatum,

Et quos *ἄπτε ἄπτε* decet sonare.

Nobis non licet esse tam disertis,

Qui Musas colimus seueriores.

Et alibi poëta quidam scribit:

Græcis dedit ore rotundo Musa loqui.

Hac igitur dictionum euphonia delectati Latini, in plerisque artibus, ubi Græcos sequuntur, eorundem uocabulis uti uoluerunt. Incipiamus à Grammatica quæ in orthographia, etymologia, prosodia & syntaxi, uersatur: Ecce statim tum ipsa ars tota, tum omnes eius partes Græcè nominantur. Quis quæso Græcè nesciens innumera uocabula ab ipsis deriuata, aut rectè scribet, aut eorum ostendet originem, aut syllabarum quantitatem? Quis hoc ipsum orthographiæ uocabulum benè scripserit, quis etymologiæ dixerit etymum, quis prosodiæ quantitatem discreuerit, nisi Græcè peritus? Carmina, pedes, & uaria eorum symptomata, Græcas tantum appellationes habent, Schemata syntaxeos

taxeos an non pleraque Græca sunt? Græcanicæ phrasæ, Hellenismi, Atticissimi, apud Latinorum historicos, rhetores, ac poëtas usurpantur. Cæterum etymologias uocum, naturas, origines, non modo Grammaticum, sed etiam philosophum perspectas habere conuenit. Hinc est quod Socratem tam diligenter & accuratè de natura nominum in Cratylo differentem uidemus. Certè si quis illa uocabula quibus Latini pro suis utuntur, cum à Græcis acceperint, quæ uel cuius prima fronte suam originem produnt, uel paulatim immutata à peritioribus solum cognoscuntur, hæc inquam omnia si quis in librum redigere conetur, magnæ molis Lexicon efficiet, Artis rhetoricæ quamplurimæ uoces, præsertim troporum & schematum, nisi Græcè nominentur obscuriores alias oportebit comminisci. Sic in cæteris & rebus, & artibus, magna pars fuerit anonymos, nisi uelimus *Wyl.* *ſuy.* Dialecticam, criticam præsertim, à ueteribus Latinis excultam non habemus, ideoq; multum barbariei patietur, nisi pharmacum à Graijs accersatur. Topica locorum inuentionem proponens, quamuis à Cicerone tradita sit, ut pauciora uocabula mutuari eam à Græcis oporteat, sine Aristotelicis tamen, imperfecta est, saltem quod rem ipsam attinet, ac doctrinæ genus, quod ne à Cicerone quidem, ut ipse fatetur alicubi, satis intellectum est, quamuis inter cæteros logicæ methodi libros minimum obscuritatis habeat. Hodie uero beneficio Græcorum interpretum, qui multis annis post Ciceronis ætatem scribere cœperunt, & iam dicti, & alij plerique Aristotelis libri, à diligentibus & assiduis lectoribus intelligi possunt. Quid attinet enumerare cæteras quoque liberales artes, quæ omnes sibi Græcas aliquot dictiones uendicârunt? Res in mathematicis satis patet ex Euclidis & Ptolemæi libris. Medicorum autem professio cum alia multa, tum omnem ferè materiam suam Græcanicis uocibus appellare gaudet, ut omne genus stirpium, animalium, metallorum, rerum marinarum, denique pharmacorum simplicium, simul & compositorum, & partium humani corporis. Morborum quoque Græca nomina, quibus nulla respondent apud Latinos, innumera le-

guntur. Porro ad iuris ciuiliſ cognitionem non dubium eſt, quin eximie faciat Græcæ literaturæ notitia, cum Græcè ſcriptæ habeantur Inſtitutiones, & Nouellæ. Ampliſſimus uir, clariſſimusq; Iureconſultus Viglius Zuiche- mus Phryſius in præfatione illa ſua, non minus erudita quàm copioſa ſuper Inſtitutiones Græcas, poſtquam pluri- bus oſtendit, eo tempore, quo Græci Romano imperio pa- ruerunt, & Romani Cæſares Conſtantinopoli habitârunt, legum diſciplinam Græco ſermone literis mandatam, & ab interpretibus publicè enarratam fuiſſe: hæc uerba ſub- iungit: Quapropter uetuliſſimas in ius noſtrum, inter- pretationes ac gloſſas Græcorum eſſe comperio, qui ipſum etiam legum textum, ut nunc loquimur, multifariam tra- duxerunt. Diuerſæ enim citantur apud ipſos interpretatio- nes, aliæ *κατὰ τὸν αἰῶνα*, aliæ *μεταφραſτικῶς*, aliæ *παραφραſτικῶς*, uidi etiam quaſdam Epitomæ non abſimiles. Hæc ille. Au- dio & in Italia bi' bibliothecis ſeruari Hexecontabibulum le- gum, ordine alphabeti: Leges regias, item leges ciuiles, om- nia Græcè. Videtis igitur, ſtudioſi Iuuenes, iuris prudentiam quoque, ſine hac lingua, abſolutè percipi non poſſe.

Quid loquar de Theologia, & interpretatione ſacrarum literarum? Eſt ne quiſquam tam imperitus, tam impudens, adeoq; tam nullo præditus iudicio, ut Græcorum literas, cum utiles, tum apprime neceſſarias ſacrae philoſophiæ ſtudioſo, præſertim alios inſtituenti negare aulit? Atqui ipſum ſa- croſanctum Nouū teſtamentum primitus Græcè ſcriptum habemus, & ingentem theſaurum librorum, qui à uiris, uitæ ſanctimonia doctrinaq; claris, ante multa ſæcula perſcripti ſunt, uel ad interpretandum ſacrae ſcripturæ libros, uel ad ſa- crum aliquod argumentum ſeorſim, & ut ita dicam, ſuo Mar- te explicandum. Quod ſi in alijs obſcurioribus locis ad ar- chetypha uolumina recurrendum, omnino in ſacris id facien- dum præcipue fuerit, ubi tanti momenti res eſt. Diſſenſio- nes igitur & controuerſias, ſi quæ inciderint, ex fontibus iu- dicari ac diſcerni oportebit. Atqui nemo non uidet, opinor, quomodo ſuperiori ſæculo, ut primum præſtantiſſimū illud Dei doctum, linguarū cognitio, contemni cœpit, ſtatim unâ
cum

cum ipsa barbarie, non modo bonarum omnium artium, & philosophiæ p̄nolet̄ria, sed etiam fidei puritatis synceræq̄ religionis uiolatio sensim irrepserit: Et quomodo rursus cum linguarum doctrina, nuper ceu ab inferis reuocata, religio, artes, philosophia, reparari ac melius habere ceperint. Certè quod Apostolis olim (quemadmodum habetur apud Lucam in Actis) flammeæ linguæ cœlitus demissæ sunt, ac uelut ignea specie in singulos dispersæ, unde mox quarumuis gentium sermones loquuti sunt & intellexerunt, non ideo tantum interpretor esse factum, ut omnibus hominum nationibus Euangelium nuntiarent, ac ut significaretur nullis nō gentibus, hoc est, ex æquo mortalibus omnibus cōmunicandam esse fidei doctrinam, quamuis hanc ob causam imprimis: sed etiam ut linguarum disciplina, ad scripturam sacram, eiusq̄ phrasēs, & naturalem, aut potius diuinā, singularum uocum energiam plenius intelligendum, & alijs interpretandum, nobis commendaretur. Sic enim mihi persuadeo ne unum quidem uerbulum in sacris literis temere positum esse: uerum omnia in utroq̄ instrumēto tum Hebræa tum Græca uocabula, singularem uim & latentē quandam emphasin continere, omnino diuina esse, longè augustiora, ideoq̄ penitius consideranda, quàm si proferrentur sermone uulgari. Vt igitur adamati corporis alicuius, etiam partium singularum diligēti inspectione delectamur, sic in diuino sermone non modo sensum uniuersum, sed singulas quoq̄ dictiones penitius æstimare, magnaq̄ uoluptate ac reuerentia perpendere conuenit. Quemadmodum enim Deus Opt. Max. nihil in rerum natura temere fecit, ita neq̄ loquitur quicquam sine causa, uel ipse, uel per instrumenta, ut ora prophetarum & Apostolorum. Hoc animaduertent pontifices quoq̄ superioribus sæculis: idcirco decreta de linguis & cōstitutiones synodicæ extāt, quæ celeberrimis Academijs de docēdis linguis præcipiunt. Hinc est quod Gregorius Tifernas (ut in oratione de linguarū studio Vitus Theodorus Noribergensis refert) ante annos sexaginta Parisios ueniens postulātū à senatu Academiæ stipendium ad profectendum publicè Græcas literas, cum citasset pontificiam cō-

Institutionem de linguarum studijs, in qua nominatim mentio
 fit scholę Parisiensis, facile obtinuit. Sed cum Vitus Theodo-
 rus hæc scriberet, agebatur annus Domini 1533. Proinde
 nunc anni plusquam 70, abierunt, quod Gregorius Tifer-
 nas docere cœpit, cum iam propter tyrannidem et barbari-
 em Turcæ Græciam omnem, iam plus annis centum occu-
 pantis, Græca lingua ferè profus interijisset. Eodem ferè tem-
 pore huic tam miserabili ruinæ superstites, diuino consilio
 in Latium uenerunt profugi, Chrysoloras primum & Ianus
 Lascaris, Gaza deinde et Trapezuntius, qui Italij huius lin-
 guæ præceptores fuerunt: Tum quoq; primum imprimendi
 arte inuenta, nec id sine Dei prouidentia, optimi libri pas-
 sim e bustis Græciæ eruti, per totum orbem excudendo diffu-
 si sunt. Sic lingua & sapientia Græcorum, quæ iam nusquam
 erant, ne in patria quidem amplius, ubiq; esse cœperunt. Sed
 hæc de necessitate linguarum præcipuè autem Græcæ
 ad sacram scripturam, dictum sit: Prætereo enim doctorum
 & piorum hominum testimonia, diuini Hieronymi præsertim
 & Augustini, qui linguarum cognitionem necessariam esse
 disertè pronunciant. Quod si sacris literis & Ecclesiæ neces-
 saria sit lingua Græca, studiosis omnibus omnino ample-
 ctenda fuerit: Nam unusquisq; nostrorum, nõ sibi, sed Eccle-
 siæ natus est, ac in lege Domini dies noctesq; meditari debe-
 mus omnes, cuiuscunq; tandem arti nos addixerimus, quod
 absq; linguarum cognitione feliciter fieri non potest. Satis
 igitur patet quantus sit usus Græcanici sermonis ad omnia
 seu diuina, seu humana studia, partim quod ipsa sine eo perfi-
 ci non possint, partim quod non sine artibus illis consistant,
 quæ multò prius Græcam linguam requirebant. Ad hæc cū
 propter rerum, tum propter uerborum cognitionem eam esse
 comparandam monuimus. Siquidem tanta multitudo Græ-
 carum uocum Latino sermoni se coniunxit, quod iam dixi-
 mus, ut si quis omnia illa uocabula, quæ in uarijs disciplinis
 Latini à Græcis mutuati usurpant, rectè intelligere satagat,
 tantundem propemodum ei laborandum sit, ac si totam lin-
 guam Græcam ab ipsis rudimentis mediocriter disceret.
 Quoniam qui uim & originem uerborum (quæ cognita ceu
 glutinū

glutinis memoriae sunt) haud nouit, facile obliuiscitur: quare saepius eadem repetenda, & ut intelligantur longam explanationem interdum postulant: Qui uero causam et analogiam cognouerit (nam hoc demum scire est) promptius meminisse ac diutius recordari poterit, & statim ex ipsa formatione significatum eliciet. Hanc Graecae linguae communitatem senserunt omnes, quicumque olim in Latio uiri docti fuerunt: Nam ne unus quidem opinor ex ueteribus cuiuscunque generis scriptoribus Graeci sermonis ignarus fuit, quod facile ex ipsorum operibus, quae adhuc extant, singillatim ostenderem, si res postularet. Quippe omnes, aut Graeca uerba suis alicubi interserunt, alij saepius, alij rarius, aut alio modo Graecos imitantur. Quicumque Latinorum igitur, uel olim; uel nostro tempore, in quocunque studiorum genere aliquid laude dignum posteris reliquerunt, omnes uno ore propemodum se fatentur, Graecorum esse discipulos aut interpretes, eis inniti, illorum se uestigia sequi, paraphrases, epitomas, introductiones, commentarios, aut tale quid in ipsorum libros conscribere: semper autem ad ipsa archetypa & Graecorum fontes nos remittunt, tanquam illic uberius omnia, aut purius, aut quouis modo melius inuenturos. Quintilianus autor grauissimus, usque adeo necessarium Graeci sermonis usum oratori futuro putauit, ut Latinorum pueris inchoandas inde literas censuerit: Sunt autem haec eius uerba. A sermone Graeco puerum incipere malo, quia Latinus, qui pluribus in usu est, uel nobis nolentibus se perhibet, simul quia disciplinis quoque Graecis prius institutus est, unde & nostrae fluxerunt. Non tamen hoc adeo superstitiosum uelim fieri, ut diu tantum loquatur Graece, aut discat, sicut plerisque moris est. Hinc enim accidunt & oris plurima uitia in peregrinum sonum corrupti, & sermonis, cui cum graecae figurae assidua consuetudine haeserunt, in diuersa quoque loquendi ratione, pertinacissime durant. Non longe itaque Latina subsequi debent, & cito pariter ire. Ita fiet, ut cum aequali cura linguam utranque tueri ceperimus, neutra alteri officiat. Haec tenus Quintilianus. Sed libet eiusdem uerba ex libro decimo huc ascribere, quibus

» bus consulit, ut illi qui copia & facilitati Latinæ orationis
 » student, Græca Latine reddant: sic igitur ait: Vertere Græca
 » in Latinum ueteres nostri oratores optimum iudicabant. Id
 » se L. Crassus in illis Ciceronis De oratore libris dicit facti-
 » tasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissimè præcipit:
 » Quinetiam libros Platonis & Xenophontis edidit hoc ge-
 » nere tralatos. Id Messalæ placuit, multæ que sunt ab eo scri-
 » ptæ ad hunc modum orationes, adeo ut etiam cum Hyper-
 » ridis pro Phryne difficillima Romanis subtilitate conten-
 » deret. Et manifesta est exercitationis huiusce ratio: nam
 » & rerum copia Græci abundant, & plurimum artis in elo-
 » quentiam intulerunt, & hos transferentibus, uerbis uti o-
 » ptimis licet, omnibus enim utimur nostris. Figuras ue-
 » ro, quibus maximè ornatur oratio, multas ac varias exco-
 » gitandi, etiam necessitas quædam est: quia plerumque
 » à Græcis Romana dissentiant. Hucusque sententiam
 » Quintiliani sua potius oratione quam mea fecitare placu-
 » it. Non autem uerbis duntaxat doctrinæ Græcorum à
 » Romanis laudabatur: sed iidem liberos suos in Græciam,
 » præsertim Athenas, ad capessendum ingenij cultum mitte-
 » bant, ubi præcipuè uigebat philosophia. Quapropter ex
 » Græcis quidam, Athenas dixerunt Græciæ Musæum. Pin-
 » darus ἐπισομα, id est, fundamentum: Thucydides ἐμάδος ἐλ-
 » λάδα, id est, Græciæ Græciam. Pythius Vestam & Prytane-
 » um Græcorum appellauit. At non Græci tantum laudes
 » Athenarum, sed Latini quoque celebrant, adeo ut Atticè lo-
 » qui is dicatur proverbiali sermone, qui nihil insolens, nihil
 » ineptum, ornata omnia, grauiâ, copiosa loquitur. Item
 » Atticorum aures teretes & religiosas celebrant autores gra-
 » uissimi. Vide quantam laudem Athenæ sibi pepererint
 » sua philosophia, qua olim non Græciæ solum, sed toti pro-
 » fecto terrarum orbi præstabant, & adhuc præstant. durat
 » enim & uiuit earum gloria, uiuetque quamdiu genus huma-
 » num supererit, cum in alijs permultis, tum Aristotele ac Pla-
 » tone in primis, quorum libri etiamnum ubique gentium, ceu
 » sacraria quædam sapientiæ, in summo pretio habentur, le-
 » guntur, ediscuntur. Et Græcia magna nominata est ea pars
 » Italiae

Italia, in qua excellentissimi Græcorum philosophi docuerunt. Quinetiam Romæ philosophiam suam homines ex Græcia doctissimi, quamdiu respublica Romanorum floruit, semper profitebantur. Nam adeo multum temporis Græcæ literæ in Latio floruerunt, ut tantum non eadem à principio cum Latinis extiterint in Italiam à Nicostrata perlata. Cato iam senex animum ad Græcas literas applicuit. Nicolaus Damascenus, cuius adhuc quædam Græcæ scripta reperiri audio, philosophus Platonius, tanti fuit apud Augustum Cæsarem, ut placetas, aut si quid suauius, quæ ab alijs ei misitarentur, Nicolaos uocaret, & hodie adhuc idem mos perseveret. Hinc equidem factum existimo, ut tam pauci libri ex Græco sermone in Latinum conuersi fuerint antiquitus, quoniam passim omnes, uel mediocriter docti, Græcæ nouerant, & in sua lingua autores intelligebant. Hodie uero cum plerique Latinitate donentur, indocti ignauique homines hunc sibi imperitiæ ignauitæque suæ prætextum usurpant, non opus esse quod Græcam literaturam discamus, cum omnes huius linguae libri Latine legantur. Quibus ego respondeo, Magnam hodie translatorum uoluminum partem ad Latinos male transfusam esse, quædam uero pessime, ita ut in multis non legi, quam corrupte legi præstaret. Pauci profectò libri bene conuersi sunt, quod mecum testantur omnes docti, qui de Græcis iudicium ferre possunt. Sed esto bene conuersi sint, at multi & boni autores Græci supersunt, qui nondum Latine redditi sunt, & si uertantur, multum utilitatis, genuinæ gratiæ, & claritatis amittunt, poetæ præsertim, & Commentarij in quosuis autores editi. Interpretantur enim plerunque phrâses, figuras, & uocabulorum uim, quæ ut plurimum in alieno sermone pereunt. Ad hæc nullus interpres tam circumspectus est, quin aliquando minus propriè, & magis dubiè uertat, atque in archetypo legitur, siue quod ipse dormitat, siue quod lingua Latina non aliter admittit. Potest autem uel una uocula præposita, aut postposita sensum inducere diuersum. Semper itaque recurrendum ad exemplaria Græca. Nunc si opus esset proferrem testimonia plurima ueterum

ac præcipuorum inter Latinos autorum, magno consensu Græcitas studium collaudantium, nisi quæ hæcenus dicta, Lectori non omnino peruicaci sufficere mihi polliceretur. Tanta profectò literarum Græcarum dignitas est, honor, & utilitas, ut non solum apud illos, qui gentes reliquas omnes præ se barbaras uocitabant, sed apud ipsos etiam barbaros, quantumuis à Romano & Græco orbe remotissimos, in magno pretio usque fuerint. Nam Druides Gallorum sapientes, in publicis priuatisque rationibus literis Græcis usos fuisse constat: & Romanorum temporibus in Heluetiorum castris tabulas repertas esse, literis Græcis confectas, & ad Cæsarem perlatas, historijs celebratur: quibus in tabulis ratio conscripta erat, qui numerus domo exisset eorum, qui arma ferre possent: & item separatim pueri, senes, mulieresque. Brachmanas etiam (inter quos insignis ille Calanus fuit) & Gymnosophistas Indorum sapientes easdem in usu habuisse, easdem Indorum ipsorum regem Phraotem calluisse, memoriæ proditum est. Scribit alibi Plato ex varijs cœli locis, aspectibusue, diuersa morum ingeniorumque temperamenta fieri: quo argumento in Græciæ tractu indispensandis disciplinis multo magis idoneos uideri, quàm alibi natos homines: At qui in Phœnicem & Aegyptum uergant, in auaritiâ pronos esse: Denique cuique genti bona quædam & uitia per naturam inesse. Ergo si tota gens solertia quadam natua, industria, & acrimonia ingenij prædita sit, quid est quod dubitemus an illorum libri, qui totius gentis sapientissimi fuere, magnam admirationem studiumque sui mereantur? Sed præter utilitates innumeras, inest etiam uoluptas quædam Græcæ linguæ, qua demulceri, mitigari, adque humanitatem reduci asperiora ingenia possunt: mitiora uero summopere affici, delectari, ac retineri. Totus enim sermo aptus, elegans, copiosus, festiuus, ac lepidus est, quod non solum in poetis, sed etiam cæteris scriptoribus magna cum suauitate experimur. Nam quod dictionem & stilum attinet, supra non nihil diximus, & in ipsis dialectis peculiaris gratia se profert: suuat legere nunc Doricam simplicitatem, nunc elegantiam Atticam,

Atticam, nunc subtilitatem Ionicam. Rerum autem quae sit & quanta uarietas, sic ut nihil desideres, in quocunque studio rum genere animum reficere uelis, nec uerbis consequi possim, neque in praesentia licet. Hoc unum dicam, Longè plures ac elegantiores Graecorum nobis extare libros, quàm ex Latinis, qui pulcherrimam philologiam, id est, iucundam studiorum uarietatem spectauerint, & ceu scopum sibi proposuerint. Ego certè, si mihi solum ac Musis uiuere deberem, ac optio daretur alteram linguam absque altera deligendi, Graecam Latinae absque mora praetulerim: quia me solitarium eius lectio magis oblectaret, & ampliore in omni philosophia profectum inde sperare. Nam ad communem hominum conuersationem nemini dubium, quin Latina praeposenda sit, si foret alterutra cendum: At ille semper optime faciet, qui utranque coniunxerit: ita enim pulcherrimum doctrinae temperamentum orietur. Quod si non satis, Adolescentes studiosi, haecenus enumerata ad huius linguae studium alacriter capessendum, aestimate quaeso apud uos, quod praeter multiplicem usum, & uoluptatem inde nascentem, suus etiam honos & gloria non uulgaris eius beneficio comparetur. Reuoluite animo doctos uiros, qui partim superioribus annis uita defuncti, maximum sui desiderium bonis omnibus reliquerunt, partim hodie uiuunt, & non sine magna nominis celebritate docent, aut scribunt. Siquidem ex illis omnibus, quo quisque maiorem Graecae linguae notitiam consequutus est, ad famam eò clariorem magisque gloriosam, aut euasit iam, aut euasurum breui iusta spes concipitur. Quod si quibus propter occupationes, aut uitae genus diuersum, multum operae huic linguae impendere non uacat, illis equidem consuluerim, ut saltem aliquam Grammaticae cognitionem sibi comparent, & Lexicon emant, hoc est interpretem & mutum Graecae linguae magistrum, eique referendae, cum opus fuerit, clavis instar futurum, singula suo loco uocabula explicantem. Ea enim uis est huius linguae, ut sine eius notitia nemo feliciter in quauis doctrina bonisque artibus, aut alios docere, aut ipse discere possit, utcumque solers & ingeniosus sibi uideatur. Adde quod multa Graeca in omnium fere libris, qui hodie scribunt, interferuntur, & in ueterum quoque scrip-

P R A E F A T I O.

tis passim admixta sunt, quæ Lexici ope, si quis modo thematicis inquirendi rationem ex rudimentis prædiderit, intelligi poterunt. Quid multis? Claudamus tandem orationem nostram, & acquiescamus communi sententiæ doctorum, qui sunt hodie, quicquid fuerunt olim, tam apud exteras gentes quam apud Romanos: Conuenit enim inter omnes, Græcam linguam copiosum quoddam sapientiæ promptuarium esse, & tanquam mare bonorum, unde artium omnium, uetustatisque totius, & omnis naturæ rex perlustrandæ ratio (in his tribus enim omnis humanæ sapientiæ posita uis est) abunde hauriatur. Hinc etiam affirmatur uno ore, doctrinæ à Græcis exempla petenda, uirtutum à Romanis. Agnoscite igitur Adolentes, Græcam linguam Dei domum esse, ac instrumentum felicissimum, cuius usu & diuina & humana studia multo meliora, perfectioraque reddantur. Valete: atque exemplaria Græca Nocturna uersate manu, uersate diurna.

F I N I S.